

# EPISTULA LEONINA

## CXXI

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXX** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM VICESIMAM PRIMAM (121) !**

## ARGUMENTA

DE HILARIA CLINTONIA (Jasinna).....	05-21
PACEM IN COLUMBIA FACTAM ESSE (II).....	23

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam vicesimam primam.*



*Si vera dicunt nostri politici atque diurnarii (ferē omnes), **Donaldus Trump** cum nuper praeses Americae electus sit, nobis ingruet calamitas terribilis, immo, si vera dicunt diurnarii Speculi Hammaburgensis, nobis imminet cosmica catastropha exitialis: nam quidam gryllographus Specularius praesidis Americanorum futuri caput delineavit simile cometae horrendo in terram incursanti eamque destructuro. Isti gryllo inepto (v. supra) subscripta sunt verba: »FINIS MUNDI (qualem nos eum neveramus)«. Et in Americâ et in Europâ non pauci homines reclamant et tumultuantur, quod Donaldus victor evasit, quem levibus de causis contendunt esse barbarum homini neanderthalensi similem et contemptorem mulierum osoremque gentium alienarum; iidemque homunciones summâ tristitiâ vel potius quâdam hysteriâ affecti lamentantur, quod repulsam tulit **Hilaria Clintonia** altera candidata suffragiorum, quam stultê praedicant, quasi sit anima candidissima.*

*Quid sibi volunt tales opiniones praeiudicatae taliaque vaticinia tam ineptê funesta? –*

*Quidnam Donaldus praeses acturus sit, utrum saluti nationis suaे mundique reliqui munere suo functurus sit an perniciei, adhuc nescimus neque scimus praedicere; nam idem usque nunc numquam munere politico functus est. At Donaldus iam dixit se colloquia habiturum esse cum omnium nationum aliarum politicis; Clintoniam omnia ferê mala in culpam Putini convertere; se quidem illum ignorare, sed nonne perbonum futurum fuisse, si America cum Russiâ bonam rationem haberet? Nescimus adhuc, num Donaldus verba sua ad effectum sit adducturus, sed eadem melius sonant quam minae militares et sanctiones commerciales et NATOnis amplificationes, quas Europaei usque nunc ab Americanis adhibere coacti detrimentum capiant oeconomicum et subeant periculum belli exitialis....*

*At lege, cara Lectrix, care Lector, ea quae **Jasinna** refert de consiliis et facinoribus **Hilariae Clintoniae** scelestis calamitosisque: Deinde sine morâ concedes futurum fuisse, ut vera calamitas nobis ingrueret, si praeses electa esset **Libyaë vastatrix, catastrophæ fugientium et migrantium effectrix bellicosissima!** Ergo omnino nulla est causa, quâ de repulsâ Clintonianâ amariter lacrimemus. Simus hilares, quod Hilaria (cuius supernomen est «Killary») nunc estemerita et exspectemus patienter, quid Donaldus nobis sit allaturus. Nam nemo scit quid serus vesper vehat, sed nondum omnium dierum est vesper.*

*Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 121 tolle et lege et laetare et ...*

*pancraticê vale et perge mihi favere!*

**Medullitus Te salutat  
Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS  
Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
die Saturni, 03. m. Dec., a.2016**



# ΧΑΙΡΕΤΕ ΝΙΚΩΜΕΝ **GAUDETE VINCIMUS**

cfr Luciani Samosatensis Opera: Υπὲρ τοῦ ἐν τῇ Προσαγορεύσει Πταισμάτος, i.e. Pro lapsu inter salutandum. ed. Karl Jacobitz, vol.I, in aedibus B. G. Teubneri. Lipsiae 1896. [3] πρῶτος δ' αὐτὸς Φιλιππίδης ὁ ἡμεροδρομήσας λέγεται ἀπὸ Μαραθῶνος ἀγγέλλων τὴν νίκην εἰπεῖν πρὸς τοὺς ἀρχοντας καθημένους καὶ πεφροντικότας ὑπὲρ τοῦ τέλους τῆς μάχης, **Χαίρετε, νικῶμεν**, καὶ τοῦτο εἰπών συναποθανεῖν τῇ ἀγγελίᾳ καὶ τῷ χαίρειν συνεκπνεῦσαι. ...

Primus vero illud (verbum) Philippides cursor dicitur (usurpasse), cum a Marathone victoriam nuntiaret, (et) dixisse ad archontes sedentes ac de pugnae exitu sollicitos, **Gaudete, vincimus**; eoque dicto nuntio immortuus esse, et in ipso gaudendi (verbo) exspirasse.

**DE HILARIA CLINTONIA  
QUID SENTIAT  
JASINNA  
DIURNARIA INVESTIGATRIX**



**HILARIA VASTATRIX LIBYAE HILARISSIME CACHINNANS:  
»VENIMUS - VIDIMUS - ILLE MORTUUS EST!«**

[\*\*https://www.youtube.com/watch?v=pYDBzuc7ZXo\*\*](https://www.youtube.com/watch?v=pYDBzuc7ZXo)

**JASINNA: NACH-Gedanken zur US-Wahl**

**Verba Jasinnae in Latinum convertit LEO LATINUS**

Hoc scopocinematium spectatum est a 65.907 hominibus, publicatum **d.15., m.Nov., a.2016**

Hôc in cinematio paululum delibero de suffragiorum Americanorum eventu ..., praesertim cogito, quam vehementi sim tristitiâ, quod Hilaria Clintonia non facta est praeses Civitatum Unitarum Americae... (verum, scilicet hoc mihi videatur tristissimum...). - Modi musici finales sunt soni illius melodiae, c.t. "Cocaine"/Dillinger remixti. Si quis me adiuvare voluerit, adeat ad has sedes interretiales:

Paypal: [Independent\\_25@web.de](mailto:Independent_25@web.de) aut Patreon: <https://www.patreon.com/Jasinna>

### **Donaldus Trump praeses Americae futurus:**

*„Nos aequē agemus cum quolibet, cum omni populo aliisque nationibus omnibus. Quaeremus communitatem, non hostilitatem, consortium, non conflictum... Nobis agendum erit negotium magnum... Necnon vobis promitto me vos non esse deserturum. ... Amo hanc terram. Gratias vobis ago...“<sup>1</sup>*

Profecto interdum iste Trumpius inter suffragiorum certamina dixit res, quibus nomen meum subscribere parata essem, e.g. ea, quibus vituperavit diurnarios iniquē atque ambitiosē referentes. E.g. Trumpius scripsit haec: „*Verē taedet me ,Tempora Neo-Eboracensia' scriptoribus suis mendacibus permettere, ut fabulas fingant falsas*“.<sup>2</sup>

*„Odi nonnullos diurnariorum, qui ibi sedent. Sed numquam illos occiderem. Quos odi, ut sincerē dicam. Sed illos numquam occiderem! An vero? Paulisper, deliberabo. ... Non, hoc non facerem. At illos odi. Multi illorum mentiuntur taediosē. Verum est, verum est“.*

Equidem numquam deliberavi de diurnariis occidendis. Tamen ego quoque irascor, quandocumque diurnarii tam verniliter circumrepunt in margine referendi sibi permisso, ut pudeat omnem diurnarium verē investigativum.

### **Diurnarius mediorum excellentium<sup>3</sup>**

**Volfgangus Herles** praeter alia moderatus est redactioni emissionis televisificae, c.t. „Aspekte“.

*„Scilicet nos eo difficultatem habere, quod – nunc loquor maximam partem de televisione publice-iuridicâ – quod nos gubernationi sumus proximi, non sôlum eo, quod res politicas plerumque commentamur sic, ut congruat cum coalitione magnâ, sed etiam eo, quod penitus adhaerescimus rebus agendis, quas nobis praescribit gubernatio, i.e. themata, de quibus refertur, praescribuntur a gubernatione et reverâ*

---

<sup>1</sup> orig. „We will deal fairly with everyone, all people and all other nations. We will seek common ground, not hostility, partnership not conflict. ... We have to do a great job. And I promise you I will not let you down. ...I love this country. Thank you...“

<sup>2</sup> „Really disgusting that the failing New York Times allowa dishonest writers to totally fabricate stories.“

<sup>3</sup> orig. „Qualitätsmedien“.

*– hoc mihi hōc loco dicendum est, quia publicē disputatur – reverā extant praecepta, quibus redactor principalis ipsius stationis televisificae alterius (ZDF) dicit: “Amici, oportet nos referre sic, ut commodo fiat Europae et salutis communis“, neque iam necesse est eundem redactorem addere verba: ,ut Dominae Merkel placeat’“.*

Ecce titulus „Francofortensium Communium“ (FAZ) d.09. m.Oct. a.2015: *Angela Merkel ratio politica. Num est perspicua? Postquam cancellaria foederalis ad publicum prodiit, cives magis magisque sollicitantur, quod fortuna terrae (Germaniae) videatur dependere ab uno tantum homine. Nam Angela Merkel non iam videtur tractare realitatem. scripsit Christian Geyer.*

Estne ulla umquam res, quae Dominae Merkel placeat, verē placeat? Cogito Dominae Merkel praecipuē ea placere, quae placent gubernationi Civitatum Unitarum. Gubernationi autem Civitatum Unitarum, quae usque nunc fuit, placuit Europam a Russiâ seiunctam esse et Europam contra Russiam sanctiones statuere oeconomicas – incommodo Europae proprio, quamvis eadem hoc nolle facere!

Verba scripta: *Putinus est verē ingratus, oportet hoc intellegas, nonne?*

**Iosephus (Joe) Biden** US-vice-praeses: „*Verum est Europaeos hoc omnino noluisse. At duces Americani et praeses Civitatum Unitarum non desierunt hoc postulare, immo Europam coegerunt, ut surgeret et pateretur incomoda oeconomica...“*

Magnas gratias tibi agimus, Domine Biden, qui es adhuc vice-praeses, quod hoc dixisti tam apertē, nam sic res facta est verissimē: Civitates Unitae Europam coegerunt, ut statueret sanctiones oeconomicas, quamvis eā re Europaei damnum caperent gravissimum. Ceterum filius Iosephi Biden nunc munus suscepit praceptoris negotiationis gasicae. Nonne pulchrum est sanctiones oeconomicas coacticias coniungere cum re iucundā? Nunc autem breviter interrogamus – ut rem recordemur: Quā de causā Civitates Unitae valdē cupiverant Europae et Russiae nocere? Hoc breviter audiamus, ut sciamus, quidnam non habeamus eo quod Hilaria Clintonia non est electa praeses. Nam ea quoque iam locuta est coram phrontisterio (*thinktank*)

Americano, quod appellatur „*The Chicago Council on Global Affairs*“. Audiamus verba Georgii Friedman:

*“In rebus politicis externis America inter saeculum proximum praeteritum praecipue id studuit, ut vim haberet ad rationes, quae intercedebant inter Germaniam et Russiam. Nam eae nationes si inter se sunt coniunctae, sunt unica potestas, quae nobis possit minari“.*

At omnino non fuerunt ulla indicia, quibus appareret Germaniam velle se coniungere cum Russiâ, ut impetum facerent in Americam! Ergo dicas apertê, quidnam reverâ velit gubernatio Americana ex decenniis! Quinam est finis vester verus?

*„Civitates Unitae studium ponunt quadam in re fundamentali. Quae tenent omnes mundi oceanos custodiendos. Nulla alia potestas hoc umquam fecit. Hac de causâ nos possumus invadere in alias terras, sed illae non possunt invadere in nostram. Haec est res pulchra“.*

Babae, rectê dicis, haec est – ut verba tua repetam – res pulchra, invadere in alias terras, sed non invadi ab illis! Scilicet hanc rem non esse omnino novam. At admodum pulchrum est hoc audire ab ipso Americano explicatam. Eho, haec res habet tantum exspectationis, ut cupiam scire, quid hoc phrontisterium, cuius sententiam Domina Clintonia quoque sequitur, praeterea declaraverit, ut clarius appareat, quaenam nos non patimur, quia Hilaria Clintonia accepit repulsam.

*„Britanni, ut efficerent, ne quae potestas europaea classem aedificaret, curaverunt, ut Europaei inter se pugnarent.“*

Ah nunc intellego: tu sentis eo quod efficis, ut gentes inter se pugnant, easdem unam alteram ita debilitare, ut tu quietus facere possis quid vis. Estne haec ratio politica, quam commendas?

*„Ratio politica, quam commendabo, est ea, quâ usus est Ronaldus Reagan in Iraniâ et Iraciâ. Qui pecuniam dedit utrique terrae, ut eae inter se pugnarent neve contra nos.“*

Ah, nunc intellexi! Ergo America tali in casu utilitatis petendae fovet ambas terras conflictûs participes, ut eaedem inter se pugnent et

debilitent et Americani perquam eleganter specie servatores invadant, ut fecerunt in Libyâ et Iraciâ etc., et utilitatem propriam assequantur.

### **Commercia armorum cum Arabiâ Saudianâ facta**

Em, equidem semper cogitaveram Americam esse nobis exemplum democratiam bonosque mores exportandi, sed ista non sunt verê moralia.

„*Hoc fuit cynicum, certê non morale, sed bene successit*“.

Ergo repeto: Hoc fuit cynicum – fuit non morale – centum milia hominum mortua sunt, nonne? – sed bene successit.

„*Civitates unitae non possunt occupare totam Eurasiam*“.

Verba scripta: „Cupimus occupare Eurasiam“.

Mmh – paulisper – quid ais? Verumne doles Americam non posse occupare totam Eurasiam?

„*At possumus primo potestates inter se pugnantes adiuvare,...*“

Ah, intellexi, ita ut in Syriâ et scilicet ut in Libyâ, ubi rebelles adiuvistis armis, nonne...?

„...ut animum attendant ad se ipsos, ...“

...ut animum attendant ad se ipsos! Hoc sonat tam benignê! Reverâ sic dictum est de rebus, quae sequuntur:

Verba scripta: *Mutua hostilitas est augenda, terra inquietanda, ut postea invadas specie servatoris democratiam afferentis.*

At subito Syri sunt terrore percussi! Qui non iam sciverunt, quid fieret in terrâ suâ, quia talia sub Assado, qui dicebatur esse pessimus, numquam passi erant.

„*Omnis homo apud nos fidem suam confessus erat, in eo nulla fuerat difficultas. Damasco in urbe sunt etiam Iudei, integra tribus Iudeorum. Nemo alteri hac de causâ aliquid mali fecerat. E contrario. Gens nostra in alteram gentem bene animata est sine*

*respectu originis. Maximē valet agi de hominibus. At tales res quales nunc fiunt apud nos, ignoraveramus. Tales numquam passi eramus. Talia nuncdemum in Syriâ fiunt.“*

Nonne hoc mirum est, nonne? Quamquam Assad in Syriâ iam dominaverat, talia Syri illo tempore non passi erant. At Americani scilicet habeant adiutores. Qui non sôli laborem istum exanclant sordidum. Itaque *Franciscus Hollande* praeses Francogalliae Americanos adiuvit. Ita vero, adiuvit, ut ipse a.2012 dixit:

*„Nos oppositionem Syricam adiuvantes id statuimus, ut Syriam mutaremus ratione politicâ“.*

Bene – audivimus: Francogallia quoque statuerat – verba recito – ut Syriam ratione politicâ mutaret.

Verba scripta: *St – mysterium!*

Nunc autem tibi pandam mysterium: Syria si esset terra, cui nihil inesset nisi homines famelici, qui interdum unus in alterum impetum facerent, neque America neque Francogallia neque alias quivis studuisset, ut Lybiis afferret democratiam.

Verba scripta: *Syriae oleum minerale mysteriale: loca inventa esse, quibus insunt 37 miliarda olei. A.2012 a societate norwegianâ inventa sunt nova loca olei mineralis ingentia. In Civitatibus Unitis haec res innotuit.*

Verba scripta: *Bellum Syriacum: America videtur Syros rebelles armis instruere.*

Nunc autem alterum tibi pandam mysterium, quod scilicet sensu proprio non sit verum mysterium: Nisi America aliaeque nationes greges ibi inter se pugnantes pecuniâ atque armis adiuvissent, pugna iam pridem finita esset. Et homines e Syriâ profugi essent nulli. Nunc autem, quia thema profugorum iam attigimus, statim licet dicere futurum fuisse, ut ex Iraciâ, Afghanistaniâ, scilicet e Libyâ nulli ad nos venirent, nisi America antea terras illorum destruxisset bombis inectis. Breviter maneamus in Libyâ, quia ibi fuit quaedam mulier, quae vehementissimê pulsabat tympanam bellicam, numquam

desinens populos mundi praeparare ad missionem in Libyam faciendam. Ecce ista fuit domina:

*„Gaddafius minatur se partem populi sui trucidare.“*

Scilicet Dominam Clintoniam nequaquam sollicitatam esse de quibuslibet trucidationibus, quae fieri dicebantur. Hoc omnis scivit, qui a.2011 hanc rem tractavit. At nunc publicantur epistolia electronica, quibus hoc publicê demonstretur. Hoc autem mihi pulchrum esse videtur.

Verba scripta: *Ad.2, m.Apr., a.2011, ad: Hilariam.*

*„Epistoliis nuper publicatis, quae possessa erant a Dominâ Clintoniâ, patefactae sunt nonnullae causae novae, quibus Libya interventum erat. E documentis novissimis a rei publicae departamento patefactis appareat Gaddafium possedisse copias auri, quae adhiberi potuissent ad constituendam monetam Africanam propriam, quae fuisset competitrix dollarii americani. Alias causas interventionis Libyensis fuisse Libyae copias magnas olei mineralis necnon Francogallorum studia protegenda.“*

Verba scripta: *Gubernatio Gaddafii possidet 143 tonnas auri.... Quam adhibere voluerat ad monetam pan-africanam constituendam, cuius basis esset Libycus denarius aureus.*

*a: cupiditas maiorem partem olei Libyci accipiendi,*

*b: potestas Francogallorum in Africâ septentrionali augendâ*

Ergo comprehendamus: Ex epistoliis electronicis Dominae Clintoniae nunc publicatis concluditur id, quod multi iam intellexerunt a.2011, sed quod illo tempore habebatur pro theoriâ con spirationis: Scilicet Americam et Francogalliam illo tempore non id curasse, ut in Libyam afferrent pacem et democratiam, sed ut impedirent, ne denarius aureus ab Gaddafio in Unionem Africanam introduceretur.

Verba scripta: d. Veneris, m.Nov., a.2011: *Gaddafii monetâ aureâ introducta futurum fuisse, ut dollarium devastaretur*

Nam America non iam illos potuisset cogere, ut oleum suum africanum venderent petrodolariis usi, et hoc oeconomiae americanae fortasse fuisse mortiferum. Sed haec scilicet fuerit non unica causa. Nam in epistoliis Hilariae Clintoniae electronicis legitur praeterea Americam sibi exoptare maiorem partem olei mineralis accipiendam. Cum autem Americani exoptantes nollent exspectare usque ad festum natalicium, nihil dixerunt nisi hoc: Mmh, afferamus Libyae democratiam. Haec enim est via securior atque celerior, qua veniamus ad ea quae nobis exoptamus. At restitit alius index optatorum. Qui fuit index Domini Sarkozy, qui ceterum antea a filio Gaddafii acceperat pecuniam pro certamine suo suffragiorum solvendam.

Verba scripta: Saif Al-Gaddafi filius Gaddafii a.2011

**Saif al-Gaddafi:** „*Sarkozy debet resolvere pecuniam, quam ei dedimus ad certamen suffragiorum faciendum. Nos enim solvimus hanc pecuniam, nos habemus singula documenta huius pecuniae solutae, quae patefacere parati sumus omnia. Prima, quam postulamus ab isto ioculatore, est ergo pecunia nostra*“.

Verba scripta: *Diu vivat Libya! Diu vivat amicitia inter Francogalliam et Libyam facienda!*

En lepidum istum ioculatorem, Dominum Sarkozy praesidem quondam Francogalliae! Cui iocosum visum est primo pecuniam a Gaddafio accipere, deinde, ut gratias ageret, bombas deicere in terram eius, qui pecuniam dederat, mmh, hoc quidem est iocosum. Cum autem Sarkozy timeret, ne Americani se prius bombas in Libyam deicerent et res sibi arriperent, a.2011 ne solitas permissiones quidem praetextas bombas deiciendi exspectavit, sed solus iam coepit bombas deicere. ---- At omnes isti praedones – a Sarkozy usque ad Obamam – postquam Libyam bombis deiectis devastaverunt et circiter 40.000 (quadraginta milia) hominum interfecerunt, ut ex illo tempore in Libyâ ubique dominetur chaos, - postea scilicet praebuerint spectaculum flebile.

Verba scripta: *5 annis post mortem Gaddafii – Libya in chaos delabitur.*

**Nicolaus Sarkozy:** *Vivat Bengazium! Vivat Libya! Vivat amicitia inter Francogalliam et Libyam facta!*

**David Cameron** (minister Britanniae primarius) „*Vos a dictatore defuncti estis et pacem elegistis!*“

**Baracus Obama:** „*Revolutione vestrâ victoriam peperistis.*“

**Iosephus Biden:** “*Populus Libyae defuncta est a dictatore et divina, qualis nunc sit: qui nunc habet opportunitatem.*”

Eheu, istis verbis auditis nauseare incipio. Ita est, euidem nauseo. At fuit quidam homo, qui tot hominibus interfectis et Gaddafio praesertim imperfecto ne simularet quidem misericordiam. Hilaria Clintonia enim ipso eodem tempore Bengazio in capite Libyae morabatur, cum nuntium accepit Gaddafii crudeliter interficti; re auditâ sic se gessit:

**Hilaria Clintonia:** *Venimus, vidimus, ille mortuus est!* (cachinnans)<sup>4</sup>

Apparet huic mulieri non datum esse donum misericordiae. Itaque ex annis multi homines quondam cum Clintoniâ Dominâ primâ in Domo Albâ cooperati dicunt illam esse mulierem pectore praegelido praeditam, imperiosam, psychopathicam, pessimam.

Verba scripta: *Scaevê facit!!! Hilaris ineptê clamat ante cameram.*

*Cur homines cogitent Hilarem mente captam esse – Cur homines cogitent Hilariam Clintoniam esse periculosê psychopathicam.*

*Gary Byrne officarius quondam officii secreti*

*Gary J. Byrne: Crisis indolis moralis – Officiarius quidam officii secreti in Domo Albâ operatus revelat, quae expertus sit cum Hilariâ et Vilelmo agens, et quomodo iidem operentur.*

Unus autem ex cooperatoribus quondam Clintoniae, quidam officarius quondam officii secreti, de illâ ipsum librum scripsit et colloquio interrogatus monuit, ne Hilaria eligeretur.

---

<sup>4</sup> orig. “We came, we saw – he died!”

Verba scripta: *Fundatio familiae Clintonianae: utrum est benefica an fraudulenta?*

Praeterea Hilaria non electa est praeses, quia multos millones dolariorum collegit pro fundatione suâ Haitianâ – nam in Haitî facti erant terrae motûs terribiles –, sed ex summis pecuniae enormibus, quae collectae erant, ad inopes et adiutores Haitanos vînit ferê nihil. Itaque haec fundatio est perquisita a quodam analystâ Viae Vallariae (*Wallstreet*), qui invénit hanc fundationem Clintonianam esse fraudulentam et maximam partem pecuniae esse a Clintonianis ipsis acceptam.

Verba scripta: *Fundatio Clintoniana perquisita ab analystâ funditus vituperatur.*

*Clintonianos multos millones collegisse pro se ipsis.*

**Donaldus Trump:** „*Ea (Hilaria Clintonia) permultam accipit pecuniam. En homines Haitanos. Evidem fui in Floridâ, in tribu, quae vocatur „Haitiola“, et dico vobis illos homines odisse Clintoniam, propter ea, quae in Haitî facta sunt de fundatione Clintonianâ, istud est infame! Vos istud scitis, et omnis ferê alius istud scit!*“

Verba scripta: Cum emissionibus documentariis, quas spectavi, hoc congruit.

**Jasinna:** Alia causa, quâ Domina Clintonia non est electa, est, quod et Vilelmus maritus eius et Hilaria ipsa honoraria pro orationibus habitis acceperunt enormia. Vilelmus 105 ferê millones dolariorum accepit, Domina Clintonia 25 millones.

Verba scripta: *Ecce Domina ‘Diva’ pretiosa: Clintonia pro unâ tantum oratione habitâ accipit 300.000 dolariorum.*

Nescio autem num nonnulli electores sibi dixerint: Is, qui tantum pecuniae accipit orationibus habendis, ab eo etiam exspectatur remuneratio, et eadem minus proderit populo, praesertim cum haec orationes habeantur apud Viam Vallariam et coram diversis argentariis.

Verba scripta: *Lloyd Blankfein, praeses quondam mensae argentariae Goldmanio-Sachsianaæ.*

Alia quoque causa nescio an fuerit ea, quod Hilaria sententias suas mutare non desinit.

*„Primo conubium homosexualium reprobasti, nunc comprobas, nunc defendis rationem Obamae politicam immigrationis et nunc ab eâdem dissentis, duodecies adiuvisti rationem Obamae mercatoriam, at ex septimana proxima praeterita subito aliter sentis? Esne tu parata omnem sententiam dicere, ut eligaris?“*

**Jasinna:** Denique autem agebatur etiam de verbis malis, qualia vocabantur, a Donaldo Trump dicta, cum multi Americani, qui illum elegerunt, sciant haec ‘verba mala’ minimum valere, si consideratur Vilelmum Clintonum – i.e. praesidem quondam Americae et maritum Dominae Clintoniae – cursu decenniorum praeteritorum – a variis mulieribus accusatus est constuprationis et maritus Hilariae Clintoniae quodam in casu 830.000 dolariorum solvit, ne causam diceret iuratus.

**Donaldus Trump:** *„Me excuso pro his verbis dictis, sed praeses Clintonius subiit processum suspensionis, diploma advocatorum amisit, immo mulieri cuidam debuit solvere magnam multam – quae mulier hodie etiam adest apud nos. Hilaria autem Clintonia talibus rebus retractandis loquitur de verbis quibusdam, quae ego 11 annis ante dixi, oportet istam pudeat huius rei.“*

**Jasinna:** Restant adhuc multae causae, quibus Clintonia tulit repulsam. Veniamus ad rem ultimam, quae fortasse ad suffragiorum eventum maximi momenti fuit: haec fuit Dominae Clintoniae valetudo improspera. Quae mulier enim a.2012 a medicis curata est propter coagulum sanguinis cerebrale, quo a medicis Americanis, quorum verba recito - dicuntur effici defectûs diversi, quibus ipsis efficiuntur symptomata quaedam morbo Parkinsoniano similia. E.g. sollemnitas diei noni mensis Novembris memorialis ab Hilariâ praematurâ fuit relinquendus, et eadem mulier aliis hominibus nixa ad autocinetum allata est (non iam potuit in autocinetum insidere, sed antea collapsa est). Itaque nonnulli scripserunt: Quomodo haec domina, quae sit tam malâ valetudine, fieri potest praeses Civitatum Unitarum?

His omnibus consideratis facile intellegitur partem quandam Americanorum dixisse: „Nonne haec domina per triginta annos, quibus muneribus politicis functa est, opportunitatem habuit, qua valeret ad rem publicam utiliter. At pro eo, ut hoc faciat, Hilaria colligit millones dolariorum pro quibuscumque orationibus apud Viam Vallianam aut coram lobariis quibuslibet habitis, sed ne valetudine quidem est sat bonâ – ergo non est eligenda – eligamus malum minus, eligamus Donaldum Trump – ut saltim scintillam spei accipiamus rei publicae aliquatenus mutandae.

**At Europaei oportet gratias agant omnibus deis omnium universorum realiter exstantium, quod Hilaria Clintonia non facta est praeses Americae. Nam verisimile est Clintoniâ electâ futurum fuisse, ut bellum gereretur cum Russiâ.** Nunc scilicet quaeras – quânam re? Hoc quidem facile est dictu: Quia Domina Hilaria Clintonia iam pridem iterum pulsat tympanum bellicum:

**Hilaria Clintonia:** „*Praeses Russiae Vladimirus Putinus – programma commendationis propagandae Russicum – impetûs cybernetici e Russiâ facti – arma destructionis massalis – nos pecuniam erogamus ad proximum gradum armationis militaris, ut protegamus incepta Americae cosmica et cybernetica. Legistis relationes, quibus appareat Russos computatra penetrasse vehementer varia. Russia iam penetravit computatra Commissionis Nationalis, fortasse etiam nonnulla suffragiorum systemata publica. Ergo necesse est nos instrumenta nostra augere. Evidem, si praeses facta ero, declarabo Americam impetibus cyberneticis responsuram esse eodem modo ac omni impetui alii.“*

**Jasinna:** Nunc autem velim ex omnibus illis, quorum animus vehementer deceptus est, quod mulier democratica tam magnanima, suae utilitatis tam immemor, pacis tam vehementer amans non facta est praeses Americae, hoc quaerere: Quidnam putas valere, quod illa dixit se velle in futurum impetu cybernetico facto milites suos emittere – mmh? Quamnam terram putas illam dixisse mox visum iri a suis aut ab europaeis militibus – (quos sibi attraxisset)? Mhh – quidnam putas: Quam terram illa dixit visum iri?

**Hilaria Clintonia:** „*Praeses Russiae – Vladimirus Putinus!*“

Rectissimê! Et quâ de causâ?

**Georgius Friedman:** „*Civitates Unitae studium ponunt quadam in re fundamentali. Quae tenent omnes mundi oceanos custodiendos*“.

**Jasinna:** Rectissimê! Nunc autem res sic se habuit: Domina Clintonia iam irascebatur. Quânam re irascebatur? Irascebatur, quia tympanâ belli contra Russiam gerendi ex annis iam pulsatâ tamen nihil factum erat.

*Colloquium interrogatorium, quod cum Hilariâ Clintoniâ olim fecit Nicolaus (Claus) Kleber membrum Americani Pontis Atlantici (Atlantik-Brücke) phrontisterii (thinktank) habuit.*

**Nicolaus Kleber:** „*Vladimiro Putino in libro tuo dedicas nonnulla capitula aculeata. Quid cogitas de hōc viro: Quonam is est vasurus? Quonam fine?*“ – **Hilaria Clintonia:** *Credo eum velle restituere Russiae magnitudinem – hoc autem est repellendum, vehementer atque perseveranter, primo ab Europaeis, qui ab Americanis adiuvantur...* **Kleber:** *Ergo primo Europaei – visne ducere e parte posticâ, more Obamae?* – **Clintonia:** *Non, non. Nam periculum non imminet nobis –*

Ah, ita verum. Ergo illo tempore Hilaria adhuc mente sibi finxit Europaeos munus suscepturos esse et impetum facturos esse in Putinum. Nam bene recordamur illa quae dicta sunt:

**Georgius Friedman:** “*In rebus politicis externis America inter saeculum proximum praeteritum praecipue id studuit, ut valeat ad rationes, quae intercedebant inter Germaniam et Russiam. Nam eae nationes si inter se sunt coniunctae, sunt unica potestas, quae nobis possit minari*“.

Verba scripta: *Heus vos, nonne tandem vultis bellum gerere? En Putinum iam aggredientem!*

Rectissimê dicit! Hoc isti mulieri potissimum placuisset! Europaeos munus bellicum ipsos suscepturos esse. At adversus omnes diurnarios, adversus omnia membra Pontis Atlantici, velut *Nicolaum Kleber, Angelam Merkel, Kai Diekmann*, redactorem ephemeredis „*Bild*“

praecipuum, adversus haec membra phrontisterii, necnon adversus permultos alios homines politicos atque diurnarios, qui Americae faventes valent ad opiniones Germanorum publicas efficiendas – tamen populus dixit: „Nequaquam, iam desinite, nos non cupimus bellum gerere contra Russos. Hac autem de causâ Hilaria stomachata est. Reverâ Clintonia vehementer stomachata est.

**Hilaria Clintonia:** „*Ille (Putinus) est homo valdê arrogans ... Putinus fuit speculator officii secreti (KGB). Iste est expers animae. Talis res isti videtur esse molestia temporis.*“

**Jasinna:** Quidnam dixit Putinus sic provocatus?

**Putinus:** *Mene expertem esse animae? Hem, equidem saltim cerebri sum particeps.*

**Jasinna:** Hoc quidem scilicet sit ineptum. Putinus nullo modo voluit provocari. Itaque Domina Clintonia nunc consilium cepit impetûs cybernetici, quem aequiperat impetui militari. Quomodo Hilaria responderet impetui militari? Scilicet telis et ruchetis iaculandis. Scilicet. Interim cum autem nonnulla Clintoniae epistolia electronica sint patefacta, eadem dicit: „Hoc fecerunt Russi!“ Argumenta ei desunt, sed contendit illos hoc fecisse. Russi negaverunt se hoc fecisse, sed hoc isti nil valet, quia dicit: „Hoc fecit Russia.“ Ergo si America sensisset in se fieri impetum putativum aut verum cyberneticum – qualis ab illâ aequiperatus est impetui militari – ut ipsa iam dixit, nonne, talis impetus declarari potuisse casus NATOnis. Ideo scilicet omnes nationes NATOnis consortes essent iniuncti – ut tandem bellum incoharetur Clintoniae exoptatissimum. Nunc autem ex te quaero: Cuinam terrae primo bellum gerendum fuisset? Scilicet Germaniae! Curnam? Quia Germania multis, permultis instructa est pulchris basibus militaribus Americanorum. Quidnam deinde fieret, si Russia se defendisset? Si ita futurum fuisset, quamnam terram putas primam devastatum iri? En rem intellexisti! Scilicet Germaniam!

Nunc autem hac re consideratâ dic mihi: Verumne credis nobis esse lamentandum, quod Domina Clintonia non facta est praeses Americae? Sic ne sentias! Nec crede ista quae flebiliter dicuntur: „*Eheu nos miseros, quibus nunc pecunia sit solvenda pro tutelâ*

*NATOnis!*' Evidem gaudeo, si abest NATO. Nam his decenniis NATO nihil curavit nisi bella gerenda! Cum autem mentio incidit de NATOne, nolo praetermittere Gaddafium iam anno 2011, cum NATO inciperet bombis devastare terram suam, - ita, ut dixi, a.2011 Gaddafius praemonuit, si terra sua devastata esset, millones hominum profugorum iam expectantes venturos esse in Europam. Unde hoc autem scivit Gaddafius? Hoc scivit, quia ab Italianis pecuniam accepit pro eo, ut limitem Libycum teneret densum. At scilicet hoc non sôlus sciverit Gaddafius – omnes politici hoc sciverunt! Italiani, Francogalli, Americani, Britanni, Germani – omnis hoc scivit!

Verba scripta: *Formula mathematica: Libya bombis devastated = fuga milionum hominum in Europam facienda*

Haec res erat similis aequationi mathematicae: Evidenter apparuit, quidnam futurum fuisset, si fieret; tamen hoc factum est. Libyâ bombis deiciendis devastatâ porta aperta est profugis – omnibus scilicet profugis illis, qui antea effecti erant a NATOne – nonne, bombis deiectis.

**Donaldus Trump:** *Evidem Putinum prorsus ignoro. At mihi videtur optimum futurum fuisse, si cum Russiâ bene ageremus, nam ideo possemus unâ cum illâ impugnare Civitatem Islamicam. Evidem Putinum prorsus ignoro. At quandocumque aliquid mali fit aut aliquid stulti, Hilaria dicere solet: ,Istud factum est a Russis’“.*

**Jasinna:** Rectê quidem Donaldus dicit Hilariam declarare tale consilium declarare conceptum. Quae cum ita sint, non possum quin dicam: „Heus Domina Hilaria Clintonia, vale, bene vale, optimê vale, tempus degas iucundissimum, - at maneas, quaeso, a nobis remotissima!“

**Ken Jebsen:** „*Nunc autem dicam omnibus, qui rem nondum intellexerunt: Non agitur de iis, quae Donaldus Trump dixit ante suffragia. Si eundem comprobem – quasi comprobem Theodericum (Dieter) Bohlen, non ideo, quia Theodericus Bohlen tam iucundus est, sed quia ego sum tam desperatus! – ut paratus sim quemvis hominem eligere, ut ab illâ defungar. Hoc autem, Angela Merkel, tu quoque oportet intellegas: Ego quoque eligam Theodericum Bohlen, nullâ aliâ causâ, quam ut a te defungar! Ut defungar a te, a socialistis, a*

*prasinis, a sinistris! Nam vos estis tam vehementer mente capti, tam mendaces, potentibus tam dediti, vos omnes, ut sitis omnino ineligibles! Hoc autem omni Germano enuntio, qui haec videt: Cognosce signa temporis! Hoc autem si contigit Americae, isti democratiae dynamicae, hoc nobis quoque contingit! Hic est impetus liberandi globalis, quem nobis demonstraverunt electores Americani, et Angela: Si Americani nobis hoc demonstraverunt, oportet hoc imitemur! Hoc quidem prorsus est manifestum. Nam omnia, quae veniunt ex Americâ, sunt excellentissima! Si ibidem Donaldus Trump, vir plebeculae deditus<sup>5</sup>, nobis quodammodo indirectê mandat, ut suffragia feramus contra gregem potentium<sup>6</sup>, hoc valet a te nullam iam personam esse gerendam! Hilaria Clintonia tam confidenter crediderat victoriam sibi esse certam quam tu nunc credis tibi fore a.2016, nonne? At tibi non certa est victoria, et omnem adhortor: Aut omnino ne votum feras aut eligas aliquem hominem segregem quemlibet – equidem Theodericum Bohlen<sup>7</sup> postea telephonice rogabo, num paratus sit ad munus cancellarii suscipiendum, aut Marcum Medlock<sup>8</sup> aut quemlibet alium, ne hoc umquam fiat, ut tu ipsa eligaris! Tu enim fide tam indigna es, tu et Domina tua von der Leyen<sup>9</sup>, vos estis omni fide tam indignae, vos estis periculosae, quia cerebri prorsus expertes estis, quo utamini. Intellegi non potest, quam malum sit diem hodiernum esse bonum! Nam quid maximê timetur a vobis pecuniaeque datoribus, a complexu militari-industriali? Timetis ne non fiat bellum novum, quo vos omnes lucrum accipiatis opîmum! Nam iste vir – Trumpius – primâ in oratione suâ dixit se esse paratum colloqui cum omni natione, i.e. iste colloquetur etiam cum Russis. Fieri poterit, ut colloquatur etiam cum Indis. Ut colloquatur etiam cum Africanis. Ut colloquatur cum Sinensibus, ut colloquatur cum Brasilianis, ut colloquatur cum Iranianis. Ut colloquatur cum omnibus ferê hominibus pro eo, ut primo dicat: ,Nisi vos saltaveritis secundum melodiam fistulae meae, bombas in vos deiectabimus.'*

<sup>5</sup> orig. *underdog*. cfr Wikipedia: „Underdog (englisch für „unterlegener Hund“) bezeichnet einen Benachteiligten oder Schwächeren beziehungsweise jemanden, der einem anderen unterlegen ist.“ – At cum Donaldus Trump nequaquam infirmus, sed praedives sit, *Ken Jebsen* videtur hoc verbum potius ad electores Trumpii referre quam ad miliardarium ipsum.

<sup>6</sup> grex potentium i.q. *establishment*, res publica profundior, complexus militari-industrialis, cuius particeps esse videtur *George Soros* (alias *György Schwartz*, \*1930) nefas istud et pestis humani generis.

<sup>7</sup> *Dieter Bohlen*, musicus musae levioris, televisorius moderator spectaculorum vulgarium, cynismo atque sarcasmo deditus.

<sup>8</sup> Pronuntiat quidem praenomen *Matt*, sed videtur voluisse afferre *Mark Medlock*, qui unâ cum Theoderico Bohlen cantavit.

<sup>9</sup> *Ursula von der Leyen*, ministra Germaniae defensionis.

*Euge iste vir est prorsus mira avis in terris! At vobis magis placuit illa alterius partis candidata, nonne? Quae primo dicit: ,Tela iaculamini! Postea quaerite!' Istud ne nobis suasistis? Nescio an nos simus satis stulti. At non tam stulti sumus, ut vos sequamur. Numquam fuimus tam stulti. Nos non sumus in eâdem nave ac vos, intellegitisne? Restat nunc, quamvis navis Titanica illa nondum in glaciem illisa sit, vobis occasio est naviculas ineundi et quam celerrimê apoculare, sicut illo tempore celeriter in longinquum remigavit nauarchus Bligh<sup>10</sup>... Tempus vestrum est transactum. Hoc autem est bonum. Dies hodiernus verê bonus est democratiae colendae. ,Eum, qui vînit nimis sero, punit vita”<sup>11</sup>.*

**JASINNA:** Haec hactenus. At vobis non valedicam, antequam gratias egi pro auxilio vestro, pro multis illis epistoliis electronicis et consiliis, quae mihi dedistis, ut solverem problema meum computatratiale. Ergo: Gratias vobis refiero magnas. De rebus a vobis commendatis valde, valde gavisa nunc transgrediar ad systema adhibendum, quod appellatur „Linus“. Quod iam pridem oportuit me facere. Ergo: Gratias vobis agens valedico...

---

<sup>10</sup> Ken Jebsen alludit ad seditionem nautarum illius navis „Bounty“.

<sup>11</sup> Recitat verba illa illustrissima, quae Michael Gorbatschov ipse scribit se Erico Honecker dixisse m.Oct. a.1989 in quadragesimum annum illius Germanicae Rei Publicae Democraticae (DDR): **Того, кто опоздает, накажет жизнь.** <https://www.youtube.com/watch?v=TYbDkZXoo5A>

**VERBA JASINNAE  
RETIALIS DIURNARIAE  
INVESTIGATRICIS  
DE HILARIA CLINTONIA  
CANDIDATA  
PRAESIDATUS AMERICANI  
FACTA  
IN LATINUM CONVERTIT  
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

## CORRIGENDA ET SUPPLENTA

D. 03.11.2016 h.16:37 scripsit Paulus Kangiser:

Ut mihi videtur, Nicolae, hanc epistulam, quae ante missam corrigebat, tibi non allata est. Cura ut valeas. PK

Paulus Nicolao s.d. Precor symbolam de Pace Columbiana permutes, quia Praeses Santos nuntiavit usque ad diem 31 Decembris sermones de Pacto reformando habitum iri (non ad 31 Octobris). Tibi igitur mitto symbolam qua nova dies continetur. Vale.

### **PACEM IN COLUMBIA FACTAM ESSE (II)**

Die Dominica secunda mensis Octobris cives Columbiani plebiscitu pactum cum Factione Rebelli FARC, quod Praeses Reipublicae proposuerat, reprobarunt; pactum vero de his rebus tractabat: de lege agraria, quae pauperibus agricolis favere deberet; deque participatione política, ita ut in parlamento rebelles interessent; deque fine belli deque armis depositione ne commercium fieret drogarum illicitarum; denique de civilibus ob bellum vexatis sive victimis (sensu hodierno) ita ut qui bello erant amissi, omnimodis quamvis defuncti recuperarentur et pateret, quales hae res revera essent; nunc vero quoniam pactum non est ratihabitum, denuo sermones erunt inter Factionem FARC et Gubernium Columbianum et eos, qui pacto adversati erant, velut Alvarus (*hisp. Alvaro*) *Uribe*, Praeses antecedens, eo consilio, ut una convenienter et novum pactum sanciretur aut id reformaretur, quod plerique cives reprobaverant.

Praeses Reipublicae Iohannis Emmanuelis (*Juan Manuel*) *Santos*, qui pacis spem in hoc pacto posuerat, nuntiavit se pro pace magnopere acturum ordinemque publicum servaturum esse; postea tamen dixit usque ad pridiem Kalendas Ianuarias (**31 mensis Decembris**) sermones de pace habitum iri.

Quid postea?

Instat periculum ut rebelles in silvas denuo revertant bellumque pergant; quid de re censeat Rudericus (*Rodrigo*) *Londoño*<sup>1</sup>, dux Factionis FACR, nescimus; sed tempus omnes celeritatem monet; nuper Praeses Santos Praemium Nobeliano “Pacis” honestatus est,

---

<sup>1</sup> Sonat *Londogno* modo Italico.

quod praemium quidam putant etiam Ruderico Londoño fuisse tribuendum, qui sermones de pace una cum Praeside Reipublicae iam diu egerat. Idcirco pax nondum est omnino firma.

Praeses antecedens Alvarus Uribe Iohanni Emmanueli Santos aperte gratulatus est quod Praemium Nobelianum accepit. Utinam id Praemium vigeat neve post Kalendas Ianuarias anni 2017 careat sensu.

**SYMBOLAM**

**C.T.**

**IN COLUMBIA PACEM ESSE INCERTAM**

**SCRIPSIT**

**PAULUS KANGISER  
IACOBOPOLITANUS**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipue disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam – rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandas.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	--	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	_____	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,**

**USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM VICESIMAM PRIMAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**die Saturni, 03. m. Dec., a.2016**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.de/>**